



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 1.

Cum ergo natus esset Iesus in Bethle-
hem Iuda.

QVÆSTIO I.

Verene natus Christus?

*Verbo no-
stra defen-
sa.* §. 1. **Q**Uod in Græco dicitur *ἐκ τῆς Ἰουδῆς*, noster res-
cendit conuerit, ergo, non est enim *ἐκ* aduerla-
tina hoc loco particula, neq; præcessit *ἐκ*, quidem, sed
orationem continuat. significatq; ergo, porro, ceterum. vt
illud Xenoph. pæd. 4. *μείνας δὲ ὁ κούρῳ μετὰ τὸν ἑσπέρου*
αὐτοῦ αὐτὸ τὸ σπᾶρδύματι. Manens porro Cyrus mediocri tem-
pore israhel cum exercitu. Eodem etiam modo Syrus: *ἡ*
ἰουδαία Quando autem natus est.

§. 2. Iuda pro Iudæa legendum olim monuit Hie-
ronymus. atq; ita habet Syrus *ܡܕܢܚܐ ܕܝܗܘܕܐ*. Quam-
uis autem in vnum vtraq; lectio concurrat, retinenda
tamen est illa, quæ antiquitatis potiora testimonia
producit.

*Verè natus
est Chri-
stus.* §. 3. Vere de matre virgine, proprièq; natum Ter-
tullia. contra Marcionem ostendit c. 1. de carne Chri-
sti. Introduxit Marcion. carnem Christi vt Tertul. lo-
quitur putatiuam, vt conceptus, & partus, & ipsius exinde in-
fantis ordo *ἐκ δὲ τῆς ἁγίας* habetur. Sed qui carnem, inquit, Chri-
sti putatiuam introduxit, æque potuit natiuitatis quoq; phan-
tasmatia confingere, vt & conceptus, & prænatus, & partus
virginis & ipsius exinde infantis ordo *ἐκ δὲ τῆς ἁγίας* habetur. Eos
dem oculos, eosdem quoque sensus sefellissent, quos carnis opinio in-
clisit. Placuit natiuitas à Gabriele annuntiatur. Quid illi cum
essentia creatoris & virginis vtero? Conceptus inducitur, quid
illi cum essentia creatoris? Odit moras, qui subito Christum de
caelis deferbat. Ausus hinc, inquit, molestos semper Caesaris cen-
sus, & diuersoria angustia & sordidos pannos & dura præsepia.
Viderit angelica multitudo Dominum suum noctibus hono-
rans. Seruent potius pecora pastores: & Magi ne fatigentur de
longinquo, donare illis aurum suum. Melior sit & Herodes ne
Hirremias gloriatur. Sed nec circumdatur infans, ne doleat:
nec ad templum deferatur, ne parentes suos oneret sumptu ob-
lationis: nec in manus tradatur Simeonis, ne senem moritu-
rum exinde contristeret. Taceat & anus illa, ne fascinet puerum.
His opinor consiliis tot originalia instrumenta Christi delero
Marcion ausus est, ne caro eius probaretur.

*Verè natus
est Chri-
stus.* His consiliis ait tot originalia instrumenta Marcio-
nem delere voluisse, ne caro eius probaretur. Quem
contra Tertullianus Scripturam adfert, docetq; eum
cum rescindit, quod erat traditum, rescidisse quod ve-
rum erat. Deinde insigni argumento vitur, cur enim
Deus natus videri, & homo videri voluisset, si homo
esse noluisse? Sed ipsum ex hoc capite manifestatione
Dei noluisse Dominicæ disceptantem audiamus. Sic habet: c. 3.
Necess. est quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, vt
aut impossibilem, aut inconuenientem Deo existima-
ueris natiuitatē. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod
non vult. An ergo voluit nasci (quia si voluit, potuit,
& natus est) consideremus. Ad compendium decur-
ro. Si enim se nasci Deus noluisse, quacumq; de cau-
sa, nec hominem se videri præstitisset. Nam quis homi-
nem v. dens, cum negaret natum? Itaq; quod noluisse
esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicen-
tis etiam opinio reprobat. Quia nihil interest, utrū
sit quid, an non sit: si cum non sit, esse præsumitur. Pla-
ne interest illud, vt falsum nō patiatur, quod vere non
est. Sed satis erat illi, inquis, conscientia sua. Viderint
homines, si natam putabant, quia hominem vide-
bant. Quanto ergo dignus, quantoq; constantius hu-
manam sustinuisse existimationem vere natus, eandē
existimationem etiam non natus subiturus, cum iniu-

riā conscientia suæ, quam tu ad fiduciam reputas, vt
non natus aduersus conscientiam suam natum se exi-
stari sustineret. Quid tanti fuit, edoce, vt consi-
ens Christus quid esset, esse se quod non erat, exhiberet?
non potes dicere, si natus fuisset, & hominem vere in-
duisset, Deus esse desisset, amittens quod erat, dum as-
sumit, quod non erat. Periculum status sui Deo nul-
lum est.

Insigne hoc argumentum est contra impio-
ritate carnis Christi. Simili nos vitur pro veritate e-
iusdem in Eucharistia præsentis. Si enim non carnem
suam dare, sed Symbolum instituire, cum Testamen-
tum conderet, voluit. quare id tam manifestis verbis
vitro indicauit? cur videri voluit esse corpus quod
traditur, sanguinem qui funditur, si nec corpus, nec
sanguis erat? Cur Apostolus clamat, manducantem
indigne reum fore corporis & sanguinis, si nec corpus
manducat, nec sanguinem bibit? Cur videri vult fieri,
quod fieri nullo modo vult? Denique cur tantum
errare Magos Deus voluit, vt è longinquo venientes,
vbi est ille qui natus est? *ὁ πρὸς θεόν*; cur etiam Iudæos
ex Prophetia errare iussit, vt dicerent in Bethlehem
nasciturum, si nasciturus non erat. Cur errorem tot
modis hominibus creator inculcavit, vt nisi errarent,
infideles essent. Pari omnino fiducia de Eucharistia
quaro; cur tantum, tam magnum, tam longum erro-
rem Deus tot modis, suo verbo, Ecclesiæ vsu, miracu-
lis, martyribus, ratum esse voluit, atque ab omnibus
credi, si esse in Eucharistia noluit?

QVÆSTIO II.

Quales Magi fuerint?

§. 1. **T**ria præcipue controuertuntur de Magis;
Quenam eorum fuerit patria? an ex longin-
quo venerint Oriente, an ex Chaldæa, an Perside, an
Arabia? Deinde quamnam professio, Philo'sophi, an
venefici, an vtrumq; Tertio, an & Reges? Horum ni-
hil magnopere curum est, quia tamen Caluinus & Be-
zza aliq; petulantè receptas sententias veterum exa-
gitant. Breuiter illis respondendum est.

§. 2. De loco, vnde venerunt, ita Caluinus. Cate-
rum plusquam ridiculi sunt Papistæ, quod Reges sibi fabrica-
runt, quia alibi prædictum legebant, venturos Reges Tharsis &
Insularum, & Saba, qui munera Domino offerrent. Ingeniosi
artifices scilicet, qui vt nouam hominibus formam darent, à
mundi conuersione caperunt. Nam ex Meridie, & Occidente
fecerunt Orientem. Nec vero dubium est, quin iussu Dei vindi-
ctā sic obstupescit fuerint, vt omnium ludibrio pateres crassa
eorum inscitia, quibus veritatem adulterare, & in mendacium
vertere nulla religio fuit.

Nobis considerandum est primo quales illi sint,
quibus tam atrociter maledicit. Deinde, quo iure id
faciat, expendendam. Magnos viros, & sanctos viru-
lenta illa lingua accusat: nam Iustinus contra Trypho-
nem ex Arabia venisse sensit. Tertul. l. contra Iudæos
c. 9. vbi Magis Orientalibus accommodat verba Psal.
71. Reges Arabum & Saba. Cyprian. de operibus cardi-
nalibus, siue ille, siue æqualis illi quispiam auctor est.
Nec multo post, inquit, Arabum fines huius rei notitia pene-
travit, & incolis Sabba præclari stella luminis celeste numens
nouis splendoribus indicauit.

Epiphani. in compendio Doctrinæ. Eos multi secu-
ti sunt, vt Genebrardus, Baronius, alii. Et merito, nam diu Arabes
alii quoque idem senserunt. vt Cyillus Alexand. lib. 4. in illa. & Isidorus. Qui duo Persas & Arabas inter-
dum confundi testantur, quod de Arabia felice inrel-
ligendum est, quæ ad orientem sinus Persici illi contem-
nata est. Atq; hac ratione conciliari possunt Clemens A-
lexan. l. Stromatum, Chrysostr. hom. 6. in Mattheum,
Theodor.

ADAMUS QUIN-
IM
+ EUANGELIA
CIVILIS

Theodor. lib. 5. histor. cap. 39. Leo Serm. 1. in Epiph. quie eos de Perside esse censent. Erant etiam Magi populi in Media, & Regio Magodia, quam tamen huc pertinere non arbitror. Vti neque quod habet Suidas in verbo *Magog, & Persa*, quos eosdem esse ait. Nam Magorum nomine non nationem aliquam, sed professionem indicari nimis tum vltatum erat. Et Magorum pro populo, nomen iam tum exoleuerat, nec enim sequentes Scriptores vsurparunt. Cum igitur Arabia felix sub Persidis fuerit regibus, eique confinis, poterant sane de Perside, & Arabia venire. Aut aliqui horum esse Arabes, alii Persae: cum enim non modo vestitus eorum diuersus a Beda describatur, sed color etiam vultusque, non est improbabile aliquo intervallo eos disiunctos habitasse, alios trans sinum Persicum, alios cis illum eundem. Epiphanius non modo Arabes, sed etiam ex Cetura & Abrahamo oriundos, ait in Compen. dict. Quos constat orientem versus habitasse. Et nomen Sabae conuenit.

Arabes ex
Cetura.

Hos igitur diuina vindicta obstupescit ludibrio patere, veritatem vertere in mendaciam, nemo, nisi quem diu fugere fidesq; pudorq; dixerit, cum omnes, si Tertullianum excipias, magna religionis & sanctitatis laude floruerint. Quibus adiungo Illyricum, & Daniele Tossanum, Lutheri, & Caluini discipulos. E quibus Illyricus,

Barbara gens Arabum dant mystica dona.

§. 3. At mundum conuertunt, Orientem in Meridiem & Occidentem verterunt.

Respondeo pletosq; eorum, multos è mundo conuertisse, ipsum mundum fecisse meliorem: non Orientem in Meridiem & Occidentem vertisse, sed Occidentem in Orientem, ambulantes in tenebris ad lucem matutinam, pereuntes ad virum, cuius Oriens nomen eius. Quid enim? an Reges Tharsis, & Insulae, Reges Arabum & Saba non sunt Reges Orientis? an in Magos Psal. 71. 10. verba non conueniunt?

Aliorum
accusatione
crassam in-
sentiam pro-
bant.

De Tharsis inter doctos quaestio est. alii Carthaginem, alii mare, alii Indiam significari putant. Insulae vocari possunt tam Orientales, quam Occidentales. At vero Arabes & Sabae sunt ad Orientem, & Meridiem, si Iudaeam spectes. Tacitus hist. 1. 5. Terra finesq; Iudaeae quae ad Orientem vergunt, Arabia terminantur. Eius descriptio Ptolom. 1. 5. c. 16. Plin. 1. 5. c. 16. 28. Felix Arabia inter duos sinus, Arabicum & Persicum excurrit. In hac Saba est Thurisera, Si ab onil. 16. Metra- ba dicta. Inde Sabae populi, à Saba nepote Abraham; fuerunt autem Ceturari separati à filio Isaac ad Orientem plagam. Gen. 25. 4. ab hoc nati sunt, quibus

Solus est Thurea virga, Sabae,

Arabia ad
orientem est
Iudae.

Quos si ad Occidentem Caluinus c. lloca, contra omnium hominum scientiam id facit, & fidem in perpetuum sibi abrogat. Nam ex tabulis Ptolomaei, ac recentioribus, Arabia Felix, est ad orientem hybernum Bethlemiae ut merito cum Christus natus esset, ab oriente venire dicerentur. Non igitur nos Dei vindicta obstupescit, sed terrarum, mariumq; tractus, atq; adeo lapides pro nobis loquuntur.

§. 4. Altera quaestio est, Philosophi an venefici fuerint? Hic etiam sententiae variant, multi artibus maleficis, & idololatrie deditos fuisse arbitrantur; alii puriore Philosophiam coluisse censent. Cum vero auctoritas doctum sit pene & qualis, rationes considerare conuenit.

Qui maleficos vocant, Magorum omne id probant, quod ferè in malam partem accipi solet. Qui Philosophos veros esse praedicant: Honoris causa Magos nominari contendunt, nec à veneficis diu receptum Testimonium.

Magi vox

Ex nomine quod sumitur argumentum non infir-

mum est. Quo enim Syro vel Hebraeo vsus sit Magus incertum est, noster Syrus habet מַגִּישׁ me- gu'che, quod idem est cum Latina & Graeca, sola terminatione Syrum. Graecum & Latinum Magi in vitamq; partem accipi solet: sed crebrius in malam. credo etiam apud Persas laudis fuisse Magiam, quam Plato in Alcibiade tribuit Horomazi Zoroastri filio, vocatq; τῶν θεῶν ἡγεσθῆναι, ἢ αὐτῶν βασιλεῖα διδασκαλίαν, diuinum cultum, & gubernandi doctrinam. Cicero Libro de diuinatione vocat Sapientes σοφῆς. Plinius lib. 30. c. 1. originem ad Persas refert.

ambigua,
crebris in
malam par-
tem accipi-
tur.

Mihi quidem in confesso esse videtur Magos Persarum vere veneficos, maleficosq; fuisse, non modo Philosophos, eo modo quo patrum auctore Cornelius Agrippa à Netteheim Magiam suam, & demonolatriam Philosophiae nomine palliauit. Ratio est quod fama fuerit in illis vanitas; deinde impietas. Nam vanam medicinam, idololatriam cum demonum familiaritate, & futura noscendi scientiam coniunxerunt. Plin. um audire praestat. Magicas vanitates sepius quidem antecedentis operis parte, vbi coniug. causa locumq; poscebant, coarguimus, detegimusq; etiamnum: in paucis tamen dignares est, de qua plura dicantur, vel eo ipso, quod fraudolentissima artium plurimum in toto terrarum orbe, plurimiq; seculi valuit. An- thoritatem ei maximam fuisse nemo miratur, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humana mentis complexa in vnam se redegit. Natam primum è medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse vel ut altiore sanctionemq; quam medicinam: ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus. Atq; ut hoc quoque suggererit, misuisse artes Mathematicas, nullo non auidio futura de se sciendi, atq; ea de celo verissime peti credente. Ita possessu hominum sensibus triplici vinculo, in tantum fastigium adoleuit, ut hodieq; etiam in magna parte gentium praeualeat, & in Oriente Regum regibus imperet. Sine dubio illic orta in Perside à Zoroastre ut inter aucthores conuenit, sed vix hic fuerit, an postea & alius, non satis constat. Eudoxus, qui inter sapientia seclis clarissimam, vtilissimamque eam intelligi voluit, Zoroastrem hunc sex milibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit. Sic & Aristoteles. Hermippus qui de tota ea arte diligentissime scripsit, & vices centum millia versuum à Zoroastre condita indicibus quoque voluminum eius, positis explanauit; praeceptorum, à quo institutum diceret, tradidit Azonacem; ipsum vero V. nullibus annorum ante Trojanum bellum fuisse.

Magi Per-
sarum seu
erant ven-
efici.

Magia totū
mundum
tenuit.

Magni im-
postum con-
stat.

Miratur ille Homerum Troianis temporibus eius non meminisse. Quasi vero non omnia plena Magis illo tempore fuerint. Quid enim Calchas, non veneficus erat? qui bellum Regia filia sanguine inchoauit? qui toties Damone fallente futura praedixit? quid furtum Palladii, Palamedis interitus, Callan- dra furor, Chryse preces, & pelis, nomen ex Magis, plenum Ma- & Magia? raeo deorum consilia, & discordias, gic. Thetis dos curam, Veneris vulnera, illa omnia Demonum erant spectra aut fingebantur? Fateatur haec ex parte Plinius. Siquidem Protea, & Sirenum cantus, a Vile & di- pud cum non aliter intelligi voluit: Circe vtrique & inferorum Thebano euocatione hoc solum agi. Cum igitur quingentium erant bello, Am- religiosisissimi, sapientissimiq; Magi essent, non oportet existimare Persarum sapientiss, & Magos ab eo cri- mine fuisse immunes, nec modo Philosophiae studio- sos, sed etiam Demoniacos, & maleficae Magiae. Si enim Philistim habuerunt augures, si Aegypti, si Chaldaei, quis putet sane solos Persarum Philosophos naturae rerum scientia contentos? Magicae Per- sarum rerum videntes, impiusque superstitiones non sarum si- adiunxerit. Quemadmodum igitur in Dei populo sa- pientes, tan, & Prophetas, tam gentium dispersione gis aliam gentium, sapientes & Magi, erant magno in precio, omnia ora- cula pl. na maleficus erat, Magi q. Cum X. re venit ia Graciam Osthaens, ipso portento tota artis semine, ad eius

Magi Per-
sarum seu
erant ven-
efici.

Magia totū
mundum
tenuit.

Magni im-
postum con-
stat.

Du-
magi

ad eius rabiem, non audiretatem modò Græcia populos egit, ut testatur Plinius l. 30. 1. Nec mireris Magos ab auctoribus laudari. Non ideo malefici non erant, sed artis admiratio hoc faciebat. *Quinquaginta enim adueto, summam literarum claritatem, gloriamque ex ea scientia auuquit, & PENE SEMPER parit, ait Plinius.* Exemplo probat. Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc descendam nauigare, exilijs verius, quam peregrinationibus suscepit. Hanc reuerli prædicauere, hanc in arcanis habuere. Fuisse autem maleficam magiam, ex vestigijs eius in duodecim tabulis, de quibus mentionem facit Plinius, constat. Anno vrbis Romanæ 657. Lentulo & Crassi. Coss. Senatusconsultum factum, ne homo immolaretur; Palamque in templis sacra prodigio se celebrata. Gallias ea vesania possedit. Tibertij principatus Druidas sustulit. Britannia Plinij xuo tam attonite, tantis mysterijs celebrabat, ut de dijs Persis videri possit. Et scelerata erat tamen illa, non naturalis Magia, vel eo solum nomine, quod humanas hostias immolarent. De Iuliano, Porphyrio, & eius æui Philosophi's historiæ produnt. Quin Plinius Romanum collaudat imperium, quod ea sacra sustu-

Magia he-
notata
priscæ

Romanum
Imperium
magia ad-
uersum

Perfarum
magiam
probi.

Duplices
magi.

Philosophi
Græci ma-
lesia magi.

lerit. Non satis estimari potest, quantum Romanis debeatur, imperium, quod sustulere monstrum, in quibus hominem occidere religio suspici- magi ad- uersum erat, mandis vero saluberrimum. Hoc ipso tempore vinebant Magi qui Thyridaten intruxerunt, qui post, Neronis principatu Romam venit. Perfarum porro Magos fuisse maleficos ex eorum decretis & gestis, eorumque discimus, carnes sacrificijs impositas tenuibus virgibus adurebant, sacrificia mundo corporeo faciebant, solem adorabant. Danielis historia quoque satis, indicat qui fuerint apud illos Magi, qui scilicet Nabuchodonosori explicationem somnij promittunt, cum hoc promittere non sit Philosophi, sed præstigiatoris. Deinde Magi Persici iure & lege improbâ incesta cum matribus & fororibus matrimonia celebrabant. Sacrificia alibi peragebant, deorum colloquia simulabant. Plerique igitur eorum malefici erant, superstitiosi, & demonolatræ; nam illi qui Græcis Magiam dederunt tales fuerunt. Non ignoro duplex in eorum genus à patribus constitui, quorum vnum vocatur sapientum, alterum τῶν γοητῶν præstigiatorum. Et vere docet Cælius l. 9. c. 23. Magia esse duo fastigia, alterum in fame, & immundorum spirituum cōmercijs infame, reliquum fere non aliud, quam Philosophia naturalis apicem. Et Perfarum lingua Magum non esse fere alium, quam diuinorum cultorem, & interpretem. Verum si hoc quoque confideamus sacrorum impiorum cultores, interpretes esse aruspices, & vates, non possumus negare, etiam magos fuisse; nam ista talia magica sunt. Errat grauer Cælius dum ait: Omnium placita legum Gentium exterminare, Magiam seculo clausit sapientissimū quemque excipere, venerari, colere, ut quæ altior sit; sanctiorq; Philosophia, ex qua præsignis profluat literarum claritas. Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem hanc quesisse: Nam eorum Magia fuit omnino impia, & damnata. Hinc Numæ libri, qui Pythagorici sunt, Romæ à senatu exusti sunt. Val. l. 1. c. 1. Anno vrbis 614. Chaldaei pulsi vrbe. Imo circa hæc tempora Romæ exacti astrologi. Dio l. 47. τὰς ἀστρολόγους, καὶ τὰς γοητὰς οὐ τῆς πόλεως ἐξήλασαν. astrologos, & præstigiatores v. be exegit; videri l. 56. de Augusto. Constat igitur Magos, arifolos, sapientes confuse dictos esse veneficos. Qui Græcis dicuntur ἐπαγοῖς Incantatores sunt. Hebræis fere τῶν ἰσχυρῶν Incantatores sunt. Magi apud Danielem מַגִּי quæ in solo Daniele vox reperitur. In Syro dicuntur hoc loco מַגִּי Magushe, est vero Megusum in Arabia oppidum apud Plinium l. 6. ca. 28. quod inter ea recenset, quæ Gallus equis diruit, ante non nominata ab auctoribus, quod si Maguscos quispiam magos nostros dicat, nec probem, nec re-

Adami Conzen in Enang. Tom. I.

fellam. Magos à professione dictos malo. Et tamen non honoris causa sic dictos, sed ut in vocatione maximorum peccatorum appareat humanitas & benignitas saluatoris nostri Dei. Cum enim Magi eo tempore infames essent, adeoque sapientes gentium ferme Magi dediti, mihi quoque probabile est tales & hos fuisse. Non ignoro tamē inter eos fuisse viros bonos, sed raros. Daniel princeps horum constitutus est, ipse tamen Propheta, non magus erat. Daniel. 5. 11. Et constituit eum Nabuchodonosor pater tuus principem Gazerin מַגִּי אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן, Chartummin מַגִּי אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן, quæ i. a. noster vertit. Magusum, Incantatorum, Chaldaeorum, aruspicum. Eodem compendio rex v. 15. vocat Chaldaice מַגִּי אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן, Chaldaice אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן, Sapientes, magos, vbi 70. adiungunt מַגִּי אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן אֲשַׁכְּזָן, quorum non est in Chaldaeo illo loco mentio. Horum igitur princeps Daniel, qui quandiu potuit eos in officio contineret, mala dedoceret. Si quis Magos nostros fuisse Danieli similes, aut sane Chaldaeis dissimiles non pugnaret, meam sententiam propono. Nec indignum hoc est Euangelio, cum act. 19. 19. Magicorum librorum qui exusti fuerunt precium fuerit denariorum quinquaginta millium. Nam & Magis datur poenitentia in salutem. Nullius igitur momenti est Illyrici cavillum, cum enim retulisset Iustini sententiam, qui Magos esse incantatores, & impios censuit. Eam non nisi stolido argumento refutat. Vnde, inquit, liquet, quam infallibilis sit patrum scripturæ interpretatio. Sed viderint Coloniaenses. Imo sane videntur. An ideo eorum sacra ossa honore despoliabant, quia boni peccatores fuerunt. At sic nec Paulum honorarent, qui persecutus est Ecclesiam Dei. Sic nec Magdalena, in ciuitate peccatricem. Errat ille, rigidus peccati alieni censor, sui non imputator. Cum hominem ante peccatorem diuina bonitas regenerauit, & Spiritus sancti templum constituit, nobis quoque honorabilem fecit. Quod enim Deus mundauit, homo imundum ne dixerit. Historia porro corporum sacrorum Mediolano Coloniae aduectorum, non publicam modo Scriptorum fidem, sed illius nobilissimæ Ecclesiæ etiam documenta habent. Nomina eorum Beda venerabilis recenset, & vere eum recensere credo. Dignum certe eum mundus iudicat, cui iniurato credatur potius, quam omnium apostatarum iuramentis.

Tres magi
videntur
malefici
fuisse.

Magi per-
vnde, inquit, liquet, quam infallibilis sit patrum scripturæ interpretatio. Sed viderint Coloniaenses. Imo sane videntur. An ideo eorum sacra ossa honore despoliabant, quia boni peccatores fuerunt. At sic nec Paulum honorarent, qui persecutus est Ecclesiam Dei. Sic nec Magdalena, in ciuitate peccatricem. Errat ille, rigidus peccati alieni censor, sui non imputator. Cum hominem ante peccatorem diuina bonitas regenerauit, & Spiritus sancti templum constituit, nobis quoque honorabilem fecit. Quod enim Deus mundauit, homo imundum ne dixerit. Historia porro corporum sacrorum Mediolano Coloniae aduectorum, non publicam modo Scriptorum fidem, sed illius nobilissimæ Ecclesiæ etiam documenta habent. Nomina eorum Beda venerabilis recenset, & vere eum recensere credo. Dignum certe eum mundus iudicat, cui iniurato credatur potius, quam omnium apostatarum iuramentis.

Beda hi-
storia mul-
tis laudata

Magi re-
ges.

Circum-
stantia o-
stendunt
esse reges.

§. 5. Nec minus controuersum est, an reges fuerint: Negant multi: affirmant plures. Caluinus stolidum figmentum arbitratur. Beza temere & omnino falso diu creditum esse asserit. Argumenta duo adhibet. Primo, non dissimulaturum ista Euangelistam fuisse. Deinde si ab Arsacidis venissent, non admisisset Herodes iuratus Parthorum hostis. Priore argumento etiam nonnulli orthodoxi videntur, sed vt suā sententiam probabilem, non vt opinionem plurimorum in Ecclesia temerariam, & omnino falsam ostendunt. Illæ quidem rationes nullius momenti sunt, opinio vero multorum magnis nititur fundamentis. Tacuit Euangelista regum nomen, sed ita descripsit, vt reges facile credamus. Primo enim thesauros secum vehunt, eos aperiunt, & vt magno regi munera offerunt; hoc autem regum est, non priuatorum. Quamquam enim interdum priuati recondant thesauros, non tamen longi itinere secum vehere soliti sunt. Deinde aduentus eorum illustris fuit, ab Herode audiuntur, tora ciuitas turbatur, at si Persæ, aut Arabes Philosophi duntaxat, aut etiam vates priuati aduenissent, nequaquam tanta fuisset apud impium regem conturbatio. At horum dignitas, opes, comitatus ostendebat nihil fraudis nihil impostura subesse. Hanc ob causam Tossanus Caluini illa illas apud suos, & magne auctoritatis fuisse asserit; atque hoc est, quod veteres dixerunt.

C

*Reges erat inflar me-
diocrium
principum
aut comi-
sum.*

dixere suorum oppidorum, & prouinciarum reges. Neque enim Artacidis, aut Romanis eos regibus, ad-
equamus, sed minoribus, qui sub magnis regibus
viuebant. Magna erat eorum multitudo, vt ex Ti-
granis vita constat, quem regum minorum turba am-
bibat, vt nunc regem suum principes. Fuisse autem
olim multos, & paruarum ditionum reges, tum alia
docent, tum vero Ieremias 25. 19. vbi aduersa denun-
ciat Pharaoni, deinde cunctis regibus terra Ausitidis, siue
Hui, & cunctis regibus terra Philistim. Et cunctis regibus Tyri,
& vniuersis regibus Sidon, & regibus terra Insularum quae
sunt trans mare. Et cunctis regibus Arabia. Ecce quam mul-
ti reges in vna ditione aliqua. Sic cuncti reges Arabia
Salomoni tributa offerunt. 3. Reg. 10. 15. & 2. Par. 9.
14. Denique eiusmodi reges fuisse antiqua est in Ec-
clesia traditio, siue existimatio, quam cum Nouato-
res inductam a Papistis nugantur, vetustissimos quoque
Papistas vocent necesse est.

*Parthi in
signa re-
tulerunt.*

At Herodes Persarum, aut Parthicos reges non excepisset.
Haec ratione, si quid effici posset, nec ex Perside, nec al-
ijs locis quae Partho parebant, venire Magi ad Hero-
dem potuissent, hostem experturi. At meminisse o-
portuit Bezam, hoc tempore cum Parthis pacem fuisse
firmam, nec vllum tota Asia bellum, itaque & Par-
thi Romano in imperio tuti versabantur, & Herodi
in foederatos nihil permillum erat. Veniebant sane ex
omnibus regnis ad templum Ierosolymitanum eius
sanctitate permoti, etiam ex Perside, quemadmodum
videmus in actis apostolorum, & multa hoc
probant historia.

*Tertullia-
nus ex co-
suetudine
Ecclesiae re-
gibus Psal-
mum ac-
commodat.*

§. 6. Occurrit Beza tamen. Si Genebrardus Parisiensis
Theologo creditur: Haec est vetus Ecclesiae traditio. Cedo qui-
bus testibus? Tertulliano, inquit, Augustino, Hila-
rio, Hieronymo, opponit ille Chrysostomum, Theodo-
retum, Cyprianum, Nyssaum, Cyrillum, qui re-
ges esse nec negant, asserunt. Nos quemadmodum
asserentibus credere possumus, ita alios qui non ne-
garunt contra affirmantes stare non putamus. Inter-
rim Tertullianus reges asserit, quia Psalmum 71. de re-
gibus Arabiae illis attribuit: & magos reges habuisse
orientem cum multis scriptoribus affirmat. Verum hic
quoque Beza Tertulliano insulat, quod dicat Damas-
cum ait, deputatam Arabiam, Christum accepisse spolia Damas-
ci. Arabia late inter duo Maria funditur, & Damas-
cum attingit. Negat deinde Orientem magos fere ha-
buisse reges. Sed quia omnium sententijs repugnat,
concedit alijs verbis Magos fuisse reges Orientis, dum
ait Magia studiosos fuisse. Imo verè scripsisse Ciceronem
l. 3. de nat. Deorum. Neminem esse potuisse Persarum regem,
qui non antea Magorum scientiam & disciplinam percepisset.
Tuam fidem Beza; an studiosus Magiae non videtur
tibi magus esse, saltem iam initiatus magici mysterijs,
cum Magum faciat commercium demonis, & mini-
ma etiam infernalium & mysteriorum cogni-
tio; an ne is quidem magus est, qui magorum scientiam
& disciplinam percepit, retinet, propugnat. At errat
Tertullianus. Hoc nondum probatum est: Hoc nobis
satis est, Magos à Tertulliano dici reges, idque libro
contra Iudaeos, quo ostendit, communem eam esse
sententiam Christianorum. Augustinus l. 3. de mirabi-
libus scripturae c. 3. variam lectionem esse non ignoro,
imo nec Augustinum auctorem arbitror, aliud sensit
Genebrardus. Apud Cyprianum historia Magorum
non textitur, nisi auctor de cardinalibus operibus sit
Cyprianus. Ille tamen magnos, & illustres viros fuisse
significat cum ait. Nec potuerunt Palestinae incolae latere tan-
ti nominis persone. In vrbe autem, vbi tot principes e-
rant, & magnates, latere poterant, nisi ipsi principes
& reges essent. Reges enim dynastas dicere scriptura
solet.

*Beza sibi
contradi-
cit.*

*Nota erat
Israelitis
per se re-
gum.*

§. 7. Magi igitur, regesque fuerunt, & stellam cum
viderunt, alia simul reuelatione Christum natum es-
se cognouerunt, atque ita iterum sese accinxerunt.

Etiā de numero disceptatur, de quo nihil aliud
habeo dicere, quam esse hanc traditionem antiquam fuisse anti-
quam, nullo modo verum; quod ait Caluinus, esse qua tradi-
figmentum Papistarum. Papistas, inquit, vt tres fingerent, tio.
puerilis error induxit, quia dicit Martheus obrulisse aurum,
ibid. & myrrham, Quasi vero distincte singulis proprium mu-
nus assignet. Addit apud auctorem operis imperfecti
quatuordecim recenseri.

Mhi omnino placet à Papistis fictum dici. Nam
Papistarum antiquitas, ac progenitores agnoscuntur
ex hoc, quod figmentum esse flagit ipse. Augustinus
serm. 1. de Epiph. Ipsi enim magi, qui ad illa celestis pueri Tres regi,
cunabula, stella indicio perueniunt, quid aliud expresserunt tria mun-
eris muneribus, nisi fidem nostram? In eo enim quod tria of-
feruntur, Trinitas intelligitur. In eo vero quod Tres sunt, & gnificet,
singuli singula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur. Secu-
ti sunt cum alijs, quos nominare opus non est. Augu-
stinus itaque ex recepta sententia loquitur, quasi apud
omnes in consensu esse, tres esse. Mysterium enim ter-
nario indicari proficetur, quod omnino vanum esset,
nisi & ille iudicaret esse tres, & hanc esse mentem Ec-
clesiae, cui praedicabat, perspectum haberet.

VERSUS 2.

*Vidimus enim stellam eius in oriente,
& venimus adorare.*

QUESTIO I.

*An hinc Genethliacorum errores firmen-
tur?*

§. 1. Fallax Mathematicorum, hoc est, Veneti-
corum genus, damnatis artibus vndique co-
mendationem, praedictumque petiuit. Iam olim in petum in-
martyrum Ecclesia stellam istam ad sua seita trahere famia-
bant. Tertull. de Idololatr. c. 6. De astrologis ne loquenda gumenta.
quid est. Sed quoniam quidam istis diebus promouit defendens
sibi persuerantiam professionis istius paucis vtat. Non allego Genethliacorum
quod idola honoret: quorum nomina caelo inscriptis, quibus o-
mnem Dei potestatem addidit: quod propterea homines non pu-
tant Deum requirendum praesumentes stellarum nos immuta-
bili arbitrio agi Vnum propono, Angelos esse illos desertores Dei,
amatores seminarum, proditores etiam huius curiositatis, pro-
pterea quoque damnatos à Deo. O diuina sententia vsque ad
terram pertinax, cui etiam ignorantes testimonium reddunt?
Expelluntur Mathematici sicut Angeli eorum. Vrbs & Italia
interdicitur Mathematicis, sicut caelum & Angelis eorum. Ea-
dem pena est exilij discipulis & magistris. Sed Magi & Astro-
logi ab oriente venerunt. Scimus Magia & Astrologia inter se
societatem. Primi igitur stellarum interpretes natum Christum
annunciauerunt, primi munerauerunt. Hoc nomine Chri-
stum (opinor) sibi obligauerunt. Quid tum? Ideo nunc &
Mathematicis patrocinabitur illorum Magorum religio? De
Christo scilicet est Mathesis hodie, stellae Christi, non Saturni
& Martis, & cuiusque ex eodem ordine mortuorum obseruat,
& praedicat. At enim scientia illa vsque ad Euangelium fuit
concessa, vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de
caelo interpretetur. Haec ille contra sui temporis Mathe-
maticos historia sacra ad genesis abutentibus.

§. 2. Errorem illum falso Manichaei Catholicis Manichaei
imponebant, quasi dicerent, stellam esse satum pueri, ita calumniam
l. 1. contr. Faustum c. 1. Augustinus. Inducit enim stellam ti Catholi-
objiciebat Faustus, quae confirmaret Genesim: Augusti-
nus lib. 1. cap. 5. tam Mathematicorum errorem
quam Fausti calumniam retundit. Calumniam
quidem